

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXXVII. Romana retractus de Vivaldis. De retractu ex Gregoriana  
Constitutione competente vicino adversus novum voluntarium emptorem,  
an procedat contrà alterum æquè vicinum ementem, Et an ad ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

præoccupationis possessor domus retrahenda non erat vicinus, sed hujusmodi qualitatem lite pendente affectavit, attamen satis in proposito videbatur considerabile in coadjuvationem dicti præcedentis fundamenti, cum regula, ut singula quæ non profunt, &c. ex ea prefertim circumstantia, quod melior ornatus resultabat ex domo retrahenda & altera per eundem reum possessa, ut supra.

Demum quoad quartum motivum super lapsu termini per Bullam præfixi, an scilicet lis excusat, vel termini lapsu impedit, pro excusatione ponderabantur *decisiones Putes* §. 195. lib. 1. & econverso pro non excusatione sed lapsu obstabat iam superioris allegata decr. 470. *Gregorij cum alijs per adde. Buratt. dec. 937.* Sed hujusmodi decisionum diversitas considerare videtur in facto non autem in iure, in quo juxta receptum Curie sensum bene conciliant cum distinctione, quod aut lis est principaliter intentata super retractu, ita ut punc ei præjudiciales veniant in lite accessoriæ, & incidenter, & intrat decisio Gregorii; Aut est principaliter intentata super re præjudicialiter super validitate seilicet alienationis, ex qua resultat retractus, ita ut illius inspectio veniat incidenter & consequitivè, & tunc intrant decis. Putei; Unde cum in facto ex parte Capocacciae pro certo præsupponeretur item intentatam esse principaliter super retractu, videbatur pro fundamento subsistens resolvendum. Hac tamen controversia pendente supervenient chirographum Papæ super demolitione partis domus retrahentis, quæ ultrò se extendebat, atque ut vulgo dicitur, faciebat resalutum pro dirigenda linea omnium illius viae domorum, damno demolitionis cum aliquibus commodis & concessionibus compensato, & hæc innovatio causam dedit concordiam.

## ROM. RETRACTUS

DE VIVALDIS,

PRO

FRANCISCO VIVALDO

CVM

N.

*Causa decisus per Cameram  
contra Vivaldum.*

De retractu ex *Gregoriana Constitutione* competente vicino adversus novum voluntarium emptorem, an procedat contra alterum æquè vicinum ementem. Et an ad effectum retractus prælativi concurrere debeat eadem requisita retractus coactivi. Et aliqua de lapsu anni per eamdem Constitutionem ad retrahendum præscripti.

S V M M A R I V M.

**C**ausa controversia.  
Retractus prælativus adversus voluntari-

rium emptorem an habeat locum in vicinis & rusticis.

3 An in prælativo concurrere debeat eadem requisita coactivi.

4 De concurso dotorum vicinorum.

5 Tempus præsumptum ad retrahendum non currit nisi a die perfecta & valida venditionis.

## DISC. LXXVII.

UM alter vicinus de mense Februarii 1661.

Cannetum propè ejus vineam emissatà PP. 1

Sandi Laurentii in Lucina sub expressa conditione beneplaciti Apostolici ad formam extravag. ambitiose obtinendi cum clausula, & non aliter, &c. quod beneplacitum non nisi de mense Novembri sequentis obtentum fuit, atque prius de mense Martii 1662. deindeque demense Junij sequentis cum novo monitorio Vivaldis habens vineam adjacentem, retractum prælativum ad formam *Gregorianæ Constitutionis* intentaverit; Vicinus prædictus reus conventus duas reportavit sententias favorabiles absolutorias. Unam scilicet à Tribunali Camerarii, & Aedilium, Alteram in secunda instantia à Præside Viatorum, undè introducta causa per appellationem in plena Camera coram Bonacurso, dato que dubio; An constaret de duabus conformibus ad formam Statuti; In hoc statu per Vivaldum ad ejus defensionem assumpitus, antequam ad disputationem deveniretur, liberè requirent de more insinuavimus satis de ejus juribus dubitare, probabiliusque succumbentiam timeri debere, prout sequuta disputatione 8 Junij 1664. eventus dedit.

Non dubitabam siquidem de retractu competencia respectu quoque vinearum aliorumque rusticorum etiam in venditione voluntaria, quoniam licet *Gregoriana Constitutione* §. 14. loquatur solùm de retractu coactivo, attamen ex quadam inventaria Camera observantia, de qua testantur *Gratian. discept. 742. num. 62.* & votum Camerae decis. ult. par. 2. recen. num. 3. procedit etiam in retractu prælativo, ut passim servatur; Nihilominus difficultas erat in objectis, quæ ad tria restringebantur; Primò nempè, ut in retractu prælativo per observantiam ut suprà inducō, adinstar coactivi, concurre debeat eadem requisita, quæ per dictam *Gregorianam* §. 14. desiderantur in coactivo, inter quæ illud est in hac facti specie deficiens, quod cannetum non esset locari solitum; Secundò, ut hujusmodi retractus competere non debeat contræ æquè vicinum, cum in pari causa melior esse debeat conditio præoccupantis; Et tertio quod intra annum à Constitutione præscriptum retrahens ejus Constitutionis formam cum actuali deposito preti non implevisset, quæ omnia objecta aliquam subsistentiam habere videbantur, cum tamen sufficeret unum ex eis obstat.

Quatenus enim pertinet ad primum, quod eadem requisita retractus eoactivi concurrere debeat in prælativo, de quo verè dicta Constitutione non loquitur, ita ut dicta Camera observantia, quæ hujusmodi extensionem induxit sub hac lege recipienda sit, firmant *Gratian. discept. 742. num. 63.* & votum Camerae seu Biscie impress. dicta decis. ult. num. 3. in fine par. 2. recen.

Et quamvis, cum aliquo etiam sensu veritatis, dicere id intelligendum esse quoad requisita utriusque retractu proportionata, prout sunt illa, quod vinea retrahens sit majoris valoris, majoris mensura,

suræ, & magis conspicua, & qua proprie exemplificantur in dicto voto num. 4. & per Gratian. loc. cit. non autem quoad alia, qua unius retractui sunt congrua & proportionata, & non alterius, ut est praecipue istud conductitiae qualitatis, quod congruum quidem est retractui coactivo magis odioso, cum agatur de privando Dominum invitum & vendere nolentem re sua, secus autem in prælativo, qui licet juxta unam opinionem magis communem reputetur juri contrarius & odiosus, nihilominus plerique sentiunt illum esse favorablem, ac rationis & aequitatis auctoritatem habere; Unde propter eam faltem negari non potest istum esse longè minus odiosum & exorbitantem, cui nullatenus dicta qualitas conductitiae congruere videtur, cum præferendo antiquos vicinos novo empori nihil referat, an res ab antiquo posse fere vendita solita esset necne locari, ideoque circa istud primum objectum mihi videbat probabilitus pro hac parte de jure respondendum esse, quodque dicta propositio intelligenda veniret ut super dictum est de aliis requisitis utriusque retractui æque congruis & proportionatis, dueto præfertim argumento ab observantia, quia inter alia coactivi requisita est illud solutionis augmenti in duodecima parte pretii, quod in prælativo de facto non servatur; Sed quia modernus usus vel abusus exigit procedi in sensu litterali doctrinarum, idcirco stante quod allegata auctoritates simpliciter & indefinitè dicunt omnia unius requisita in altero concurrere debere, dubitabam de iusmodi distinctionis admissione, quamvis illa iuridica & satis probabilis videretur.

Majorem difficultatem habebam in secundo objecto, quod solidius videbatur; Licet enim ubi uterque vicinus æquè concurrevit agendo adversus extraneum empori, absque necessitate examinandi varietatem opinionum, qua super hujusmodi concursum bene collectæ habentur apud Fab. de Ann. conf. 47. & Franch. decis. 50. habeamus id expressè cautum in eadem Constitutione §. 12. Ubi tamen unus prævenit, atque jam Dominus effectus est, quamvis per eosdem Franch. & Fab. de Ann. deducta habeatur non improbabilis distinctio inter rem dividiam & individuam, quod scilicet in hoc secundo tantum casu melior sit conditio præoccupantis, secus, autem in primo, in quo proportionabiliter esse potest utriusque consutlum; Nihilominus, quicquid sit de coactivo, in prælativo Camera recepit attendendam esse præoccupationem, ut pluries hoc eodem sit deductum habetur, unde quicquid discurrendo dici possit, durum esset contrarium suadere.

Ponderabam negari posse præoccupationem ex eo quod licet emptio per vicinum facta esset, de mensie Februarii, attamen tam ex dispositione juris, quam ex voluntate partium conditionaliter explicata, sub futura scilicet conditione Beneplaciti apostolici cum clausula, & non alias, contractus non fuit perfectus, neque dominum per empori rem quiescum anè implementum dictæ conditionis, qua stante dicta clausula, & non alias &c. potius suspensivæ quam resolutivæ nataram habens, se opponit principio acquisitionis, & consequenter de mensie Martii sequenti, quando Vivaldus Beneplacito adhuc non obtento ad retractum admitti petiit, reserat integra, & cessabat illa unica, & quidem probabilis ratio præferendi vicinum præoccupantem, quod scilicet jam perfectè acquisierit dominum non resolvendum ob cessantem illum rationem, ob quam lex municipalis talen ref-

lutionem induxit; Verum huic motivo duo fortiter obstabant, Primo quod ita non esset agere de retractu prælativo contrà cum, qui jam empor & novus Dominus factus est, sed de coactivo contrà priorem Dominum, contrà quem ille intentatus non fuit, neque intentari poterat ob deficientia omnia requisita Bullæ præfertim conductitiae qualitatis; Et alterum, quod attenta intentione retractus de hoc tempore facta, inexcusabilis erat lapsus anni, ac etiam quia ejusdem intentantis observantia ostendebat hanc primam petitionem fuisse neglectam ac habitam pro infecta, dum alteram cum novo monitorio ex integro fecerat.

Tertium objectum lapsus termini, de facili tollebatur, cum ille non currat, nisi à die revalidatæ venditionis, cuius imperfectæ tempus non computatur, ut punctualiter in Romana domus in monte Jordano coram Bravo apud Marchesan. tom. 1. fol. 195. Millin. decis. 446. num. 14. cum sequen. Adden. ad Baratt. decis. 997. num. 14. & haberur hoc eodem sit deductum in Rom. retractus apotheca pro Capaccia disc. precep. & in alijs, computando enim tempus à die obtenti & exequuti Beneplaciti, ex quo tempore empor Dominus effectus est, & non antea, termini lapsus non aderat, sed difficultas erat in primo & secundo objectis, ex quibus præfertim secundo, sensu justas dictas sententias, & Cameræ resolutionem super earum exequitione.

## ROM. RETRACTUS

### DE PROCACCINIS

PRO

CAROLO PROCACCINO

*Causa sortè sponitus per concordiam.*

De requisitis per Bullam Gregorianam ad retractum prælativum vel coactivum, & qua magis in uno quam in altero concurrere debeant.

S V M M A R I V M.

- 1 *Asus controversie.*
- 2 *De requisitis ad retractum prælativum.*
- 3 *Et de requisitis ad coactivum.*

### DISC. LXXVIII.

**P**ostquam vicinus utrumque retractum coactivum & prælativum cumulativè in judicium deduxit contra Carolum Procaccinum, duasque sententias favoribiles à Tribunalis Camerarii & Aedilium, & deinde à Præside viarum obtinuit, introducta causa per appellationem in Camera, & dato dubio, an constaret de duabus conformibus; In hoc statu ex parte Procaccini requisitus dicebam, dubii determinationem pendere ab iustitia, qua concurrente certum est locum non esse executioni sententiarum, cum Statutum Urbis de duabus j. xta quotidiana propositionem intelligendum veniatde validis & iustis; In iustitia vero pendebat à verificatione requisitorum, qua per bullam Gregorianam desiderantur, prætendente